


**05
A
1766**



DISPUTATIO PUBLICA
Quâ Continetur
 PENTAS
QUÆSTIONUM
PHYSICARUM

Quas
 DEO DUCE
 In Electorali ad Albim Academia

SUB PRÆSIDIO.

Excellētissimi & Clarissimi Viri

Dn. M. JOHANNIS Sperlingis
 Physices Professoris Publici, præceptoris, pro-
 motoris ac Fautoris sui plurimum Colendi.

publico Examini submittit
 JOHANNES FLEISCHER Pirnensis
 Sereniss. Elea. Sax. Alumnus.

In Auditorio Maiore, ad die n 23. Julij horis pomeridianis.



WITTEBERGÆ,
 Typis Ambrosij Rothi Acad. Typogr.
 Anno M DC XXXVI.



05 A 1766



Σὺν τῷ Γεῶργῳ.

περοίων.


Mnes homines naturā scire desiderant, ait Philosophus lib 1. Metaph. c. 1. Et recte; omnis enim homo intellectu est præditus, qui licet non omnia sciat: habet tamen à Deo nostro aptitudinem multa percipiendi, Et illa aptitudo non frustra à Deo Opt. Max. est homini inedita. Quod cum ita sit, erit nostrarum partium ut recte utamur eā Et scire desideremus, quae noscimus: ea tamen quae scitu sunt utilia Et honesta Animus igitur est publicum instituere Colloquium, idq; placidum Et ab omni contentione alienum, hinc Considerationem quarundam Questiōnum Philosophicarum suscepimus, quas scire omnino bæctenus desideravimus, easque publico Examini jam submittimus. Antequam vero id fiat, ante omnia Deum Sapientissimum atq; potentissimum illuminatur et presidem Et directorem precamur, ut librum Naturæ nobis gratiā suā adaperiat, quo divinarum Et humanarū rerum scientiam Et ex addi-

scamus Et Consequamur. Sit ergò.

A

Quarto

QUÆSTIO I.

*An Consideratio rerum physicarum sit certa,
Et studiosis superiorum facultatum utilis et necessaria?*

THESES I.

PRIMO intuitu videtur quod non, quia natura rerum penitus investigari nequit, hinc in naturæ contemplatione nihil vel patum operæ ponendum esse quidam somniant.

2. Verum enim verò homines à Deo Conditos esse, ut naturam aspiciant, est Manifestissimum. Totum enim hoc pulcherrimum theatrum, Cœlum, Sol, Luna, stellæ, Aer, aqua, terra, plantæ, animalia & Cœtera mundi Corpora tantâ arte condita sunt & ornata ut illustre & certum sint testimonium de Deo opifice.

3. In hoc splendidum domicilium collocatus est homo, & in sīta ei de Deo & virtute notitia, ut se aspiciens, & oculos circumferens ad contuendum rerum ordinem, agnoscat & esse Deum, & adesse huic suo operi & conservare res conditas.

4. Etsi autem Natura rerum non penitus possit perspicitatem in hac caligine nostra, qualis cunque aspectio & Consideratio ordinis Pulcherrimorum in mundo corporum adiutus est & ad agnitionem Dei & ad virtutem, hoc est, ad amandum & Conservandum ordinem & modum in omnibus actionibus:

5. Quamvis & causæ omnium rerum perspici nequeant: sufficit tamen nobis eventus esse manifestos. Sic non videamus, cur pœonia prospicit ad versus morbum Comitiale: at affectus tamen notus est, ac compertum est eam arcere morbum Comitiale. Galenus narrat casu accidisse, ut cum bibissent aliqui vinum, in quo Echidnæ necatæ erant, liberati sint Elephantiasi seu lepræ. Ejus eventus exempla, cum aliisque

queat

quot comperta fuerint, postea id remedium pro certo, recep-
tum est.

6. Fatendum est igitur multa esse certa, etiam si non o-
mnes naturae partes per vestigatae sunt. Ac nos confirmati
testimoniis Doctrinæ cœlestis, constantius de certitudine
necessitate & utilitate rerum physicarum pronunciare pos-
sumus.

7. Scimus enim Deum esse naturae autorem, & tradidisse
multas ordinationes, quas vult nobis certas esse, ut generatio-
nis, nutritionis, numerorum, vitæ, mortis &c. quibus detra-
here certitudinem, est Deum contumeliam afficere.

8. Et quid dicam de necessitate & utilitate Consideratio-
nis rerum naturalium? nemo profecto, nisi cæcus fortasse &
insanus, non videt & intelligit Considerationis hujus utilita-
tem & necessitatem. Plurima sunt scripturæ dicta, quæ sine
cognitione physices dextrè declarari non possunt: imo nulla
est disciplina quæ magis nos doceat distinguere inter naturae
opera & inter miracula quæ à solo Deo immediate de pen-
dental quam physica.

9. Adde quod nunquam satis Adversarijs nostris resistere
possimus, nisi hæc principia physica, quibus illi abuntuntur,
nobis penitus cognita sint.

10. Sine Cognitione physices jure consultus sæpè hæret.
In fôro enim juridico est illud pronunciatum Communissi-
mum: lac habet, Ergo peperit, vel saltem rem cum viro ha-
buit; quod tamet simpliciter concedendum non est, quia in
virginibus intactis imo & viris sæpè lac repertum est. Hic
igitur judicio philosophico opus est, quod ex physicis de gene-
ratione Lactis assumitur, ut distinguere possimus inter lac pro-
priè dictum, & inter illud quod speciem lactis obtinet, qualis
humor albus in quibusdam viris & virginibus bonæ constitu-
tionis inveniri solet.

11. Ita plurimæ quæstiones occurruunt de Septimestri par-
tu, item de undecimestri partu, & aliæ ejusdem generis in qui-
bus omnibus Jcti dependent ab autoritate physicorum.

12. Nec Medicus cognitione Physice carere potest. Ubi enim desinit Physicus, ibi incipit Medicus. Ille (physicus) versatur circa herbas, aliasque plantas, hic (Medicus) etiam versatur circa herbas & alias ex quibus medicamenta parantur, plantas. Ille versatur circa corpus humanum, hic etiam. Ille tamen sub formalitate της ανθειας, hic θεραπειας.

QUÆSTIO II.

An 6 Quomodo Astra agant in hæc inferiora?

THESES I,

Galenus disputans de efficacia & virtutibus stellarum lib. 2.
Phys. phil. de fato physico recte allegat manifestam & communem experientiam dicens: Sophisticum est Contra dicere manifestæ Experientiæ, hæc enim docet de astrorum in hæc inferiora influentia.

2. Est verò in dupli differentiis experientia, i) Universalis. ii. particularis.

3. Universalis hominibus, omnibus etiam idiotis & in doctis constat v. g. Manifestū est solis accessu & recessu fieri vices temporum, anni, æstatis & hyemis: Lunam crescentem augere & cibare humores, decrescentem minuere.

4. Experientia particularis est (licet & hæc suo modo universalis dici possit) quæ indoctis & idiotis non est cognita, ut quod ortus & occasus stellarum fixarum varietates tempestatum faciunt & prosunt nascentibus: Ortus pleiadum & Hyadum regulariter pluviam assert: Sole & Luna in Σ . Currentibus, & ad prælepe accendentibus fit rigatio: Leo & Canicula augent æstum & siccitatem: Arcturi ortus, & pleiadum Hyadum & Orionis occasus carent tempestates humidas.

5. Sic experientia docet, quod Magnis Conjunctionibus siccorum planetarum insignis Calidis, magni efficiantur æstus: in humidis magnæ humiditates. Ita referunt quod, cum anno 1. 5. 24. Magna conjunctio fuisset in λ magna securæ fuerint humiditates. Anno 1. 5. 40. Cum Eclipses \odot in γ . fuisse,

set,

set, & postea secuta esset Coniunctio H & O in ☽ in deinde
Coniunctio O & Z in ☽ fuit ingens & inusitatus aestus.

6. Et licet paucæ dentur demonstrationes de effectibus si-
derum, teste Galeno lib. 2. Phys. phil. 137. utiles tamen sunt &
honestæ hædemonstrationes. Cum omnis demonstratio in-
natura sit veritas à Deo proposita considerationi humanæ
propter aliquam utilitatem.

7. Et dari aliquas veras demonstrationes ab effectibus de-
sumptas, nemo facile negabit, quarum usus late patet, & mul-
tarum magnarum rerum doctrinam continet.

8. Prædictiones verò Astrologicas interdum fallere liben-
ter largimur, etiam sèpius, quam in cæteris artibus, cum erra-
re humanum sit, jam verò nos nō quærimus philosophiam hu-
manam, quæ depellat omnia pericula & mala, sicut nec mors
Medicatione tolli potest, immò nec morbi omnes depelli pos-
sunt.

9. Hinc ex Galeno l. d. p. 134. docemur, non omnes even-
tus ad Astrologiam referendos esse. Plures enim in Conside-
ratione actionum humanarum, & eventuum Causæ quæren-
dæ sunt, videlicet: voluntas hominis, temperamenta, Deus
& Angeli.

10. Alia hinc quæstio est: An astra agant in hæc inferiora?
Et alia, An Astra agant & influant involuntates hominum.
Ad priorem hactenus respondimus, ad hanc dicimus distin-
guendum esse 1. inter influxum directum & Indirectum 2. in-
ter influxum Necessitatem & Inclinationem.

11. Influxus directus est, qui non fit intervenienti rei alterius.
Indirectus est, ubi aliquid intercedit. Necessitans est, qui cogit.
Inclinans est, qui suadet.

12. Astra iufluunt involuntates hominum non directe, quia
voluntas hominis non est Corpus, sed tamen in directe: Non
cogendo, quia voluntas hominum cogi nequit, sed tamen in-
clinando.

13. Atq; his haud absimile est illud Thomæ sic. 3. Cont. Gent.
e. 99. dicentis: Homo secundum corpus cœlo, secundum in-
tellectum Angelis, secundū voluntatem verò Deo est subjectus.

14. Idem

14. Idem lib. d. ait: per modum inspirationis & inclinationis, permodum dispositionis, & tandem per modum passionis astra influunt.

QUÆSTIO III.

Quid statuendum sit de doctrina Fati?

THESES I.

1. Necessaria explicatio vocabuli F A T I, alias de quæsito nihil vel parum certi potest vel affirmari vel negari.

2. Quadruplex nonnulli Physici memorant Fatum, i. Theologicum seu Christianum. 2. Astrologicum. 3. Physicum. 4. Stoicum.

3. Fatum Theologicum significat decretum divinum de re, quam gubernat Dei voluntas, ut proxima causa & non causa secundæ. Sic Israëlitæ inundis servantur Fato, Pharaon, & principes Ægyptij pereunt fato, id est, voluntate Dei. Sic fato mutantur imperia, quia non possunt monstrari Causæ secundæ sufficienes, quare Roma potius imperio orbis terrarum sit potita, quam Carthago.

4. Fatum Astrologicum seu Mathematicum significat seriem Causarum naturalium, id est, Copulationem Stellarum cum temperamentis & inclinationibus. Sic fato corpus humanum obnoxium est varijs morbis. Ptolemæus vocat fatum physicum.

5. Fatum Aristotelicum seu physicum itidem significat seriem seu ordinem causarum naturalium. Sic Fato equus equum, Leo leonem, canis canem generat.

6. Fatum stoicum seu stolcum ex connexio Causæ primæ cum secundis naturalibus & voluntarijs: ita ut nec prima causa aliter ciere posse existimetur, quasm̄ ut impellitur à præcedentibus Causis, naturalibus inclinationibus & visis, id est, imaginatione objectorum.

7. His expositis interpretationibus vocabuli, dijunctio facilis est, quæ fata sunt mutabilia, quæ immutabilia; quæ ex fonte physico relegenda, quæ retinenda. ¶. Scilicet
missi. ¶.

665.

8. Scilicet nos Fatum Theologicum Theologis Astrologicum Astrologis relinquimus, Stoicum cum stoicis plane reijcimus & detestamur, quia 1. alligat causam primam secundis: 2. hominibus liberum arbitrium denegat, 3. tollit rerum contingentiam. Fatum ergo Physicum in contemplatione rerum physicarum solum obtinebit sedem.

QUAESTIO IV.

An terra sit rotunda?

THESIS I.

Terram esse rotundam & secundum longitudinem & secundum latitudinem omnes saniores philosophitent, quos nos sequimur.

2. Terræ longitudinem vocant distantiam. Ortus ab occasu, & contra Latitudinem verò septentrionis à meridie.

3. Rotunditatem terræ secundum longitudinem facile demonstrare possumus, 1. Ex diverso ortu & occasu stellarum. Hæ enim non uno eodemque Momento & hora oriuntur & occidunt, sed ijs qui degunt versus orientem citius oriuntur quam illis, qui versus occidentem habitant, *quod egregio Exemplo illustrat & declarat Plinius lib. 2. c. 32.* 2. à diverso aspectu Eclipsum. Una enim eademque Eclipsis Lunæ diversis horis Conspicitur tardius orientalibus citius occidentalib⁹ quod egregio per exemplo illustrat & declarat plinius lib. 2. c. 32. 3. Ex diversis dierum & noctium initijs. Dies & noctes diversæ diversis in locis habere initia testatur Experientia, quod peregrinantes optimè norunt. Orientalibus enim Dies citius incipit, quam occidentalibus, idem esto judicium de noctis & Meridiei initio.

4. Rotunditatem terræ versus polos Mundi à Septentrione ad meridiem, & contra, ostendunt 1. stellæ perpetuo conspicuæ & perpetuæ latitantes. Quod enim stellæ aliæ sint perpetuæ apparitionis, aliæ perpetuæ occultationis, aliæque intermediae causa est rotunditas terræ. 2. diversæ poli elevationes, hoc est, Arcus Meridiani inter polum Elevatum & Horizontem interceptis vide Lucanum c. 8.

B

5. Hinc

5. Hinc factō à nobis parvo transgressu à Meridie in septentrionem Polus Arcticus altius erigitur, & stellæ septentrionales, quæ antea occultæ fuerunt assurgunt, in opposita parte Meridionales vicinæ Horizonti deprimuntur & evanescunt.

6. His ergo ostensis patet terram non habere figuram τυμπανοειδῆ, ut Leucippus, nec σκαραβαειδῆ, ut Heraclitus, nec Κυλιωργειδῆ, ut Anaximander, nec Cavam, ut Democritus, nec planam, ut Empedocles & Anaximenes senserunt.

7. Vulgus tamen obijcere posset: Multi & magni sunt interramontes, valles & planities, Ergo terra non est globosa. His respondet plinius lib. 2. c. 66. quod et si in tanta montium Celsitate, tantaque planitie Camporum, valliumque profunditate non apparet absoluti orbis forma: ejus tamen amplexus, si capita linearum Comprehendantur ambitu figuram absoluti orbis efficiat.

8. Quibus etiā addi potest, quod montes ad totum terrarum orbem vix granulorum Si napis aut Papaveris, imò vix pulveris instar sint. Et quemadmodum ex amplissimi Circuli ambitu parvus Arcus & seorsim Consideratus intuenti linea recta videtur: in suum tamen locum repositus circularis revera esse cognoscitur: eodem modo superficies quæ oculis nostris videntur planæ ad totum orbem Computatæ partes sunt superficieis sphericæ.

9. Cæterum ut tubercula in pomis aliquibus Conspicua, illis rotunditates suas non admunt: ita montes quantumvis vasti non impediunt, quo minus terra physice & quo ad sensum sit & dicatur rotunda.

10. Hinc distinguunt Philosophi inter rotunditatem Mathematice sumptam, sicut omnes lineæ à Centro ad Circumferentiam ductæ sunt æquales, & inter rotunditatem physice & quo ad sensum sumptam.

11. Terra est rotunda non Mathematice, quia in se continet montes & multas inæqualitates, sed physice seu Quoad sensum, id est, tali modo, si quis eam à regione superiore intueretur secundum ejus superficiem Continentem & ambientem eam, videret & diceret esse rotundæ figuræ.

Quæstio 5.

QUÆSTIO V.

An rectè senserit Aristoteles mundum esse æternum, cum absurdum esse videatur mundum ex nihilo factum esse?

THESIS I.

Aristoteles lib. 2. phys. recenset sua argumenta pro Mundo ac si esset ab æterno, & inter alia ex nihilo nihil fieri ait. Qui error arridet etiam Anaxagoræ, dicenti: Duo esse æterna, Deum & chaos. Verum distinguat Aristoteles cum Aſſeclis suis inter generationem & creationem.

2. De generatione recte dicitur: ex nihilo nihil fit. Nam generatio semper requirit Materiam ex qua res fiat, qua deficiente impossibile est aliquid fieri vel generari.

3. De Creatione vero aliter sentiendum est, quippe quæ & Materiam simul fundit, & eam certa forma vestit & ornat, hinc recte dicitur: Materiam noli querere nulla fuit.

4. Jam vero Manifestum est quod generatio mundo non Competat, sed creatio, & quidcm creatio in tempore, non ab æterno. Ac licet Deus Autor & conditor mundi, fuerit ab omni æternitate: nondum tamen effectus statim ab æterno fuerit necessum est, non aliter ac Deus potuisset plures mundos condere, eosque ab æterno nondum tamen fecit, est enim agens ut potentissimum ita & liberrimum, non impellitur ab alijs, nec cogitur ab ullis.

5. Quærantibus autem quæ fuerint Dei opera ante creationem mundi, tacente natura, tacemus & eos. Scriptura dicit, quod elegerit nos antequam jacerentur fundamenta Mundi.

6. Interitum seu finem mundi quod attinet, largimur facile, quod mundus, uti non est naturaliter ortus, ita nec naturaliter, sed super physice sit interitus. Scriptura enim testatur, quod mundus aliquando finem sit habiturus & igne destruendus.

7. Solit

7. Solet autem acriter disputari: An mundus sit interitus
rus κατ' ἔσοις secundum substantiam, an verò κατὰ τοιότη-
τας secundum qualitates?


8. Nos priorem sententiam vero similiorem esse judicamus,
permoti non tantum plurimis scripturæ dictis diligenter pon-
deratis, sed etiam ipsa ratione.

9. Nam 1. interitus propriè dictus non est nisi κατ' ἔσοις
secundum substantiam. 2. alias mundus foret æternus ratione
substantiæ à posteriore. 3. Incorruptibilitas est privilegium
spirituum.

10. Quo verò anno, quo mense, qua die vel hora mundi
spectabitur ruina, nobis profus non constat, nec ea qua
Deus noluit nos scire decet anxie scrutari.

Tέλος

δόξα τῷ Θεῷ.



05 A 1766





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-577348-p0016-9

DFG

661.

663.

DISPUTATIO PUBLICA
Quā Continetur
 ΠΕΝΤΑΣ
QUÆSTIONUM
PHYSICARUM

Quas
 DEO DUCE
 In Electorali ad Albim Academia
SUB PRÆSIDIO.
Excellentissimi & Clarissimi Viri

Dn. M. JOHANNIS Sperlings

Physices Professoris Publici, præceptoris, pro-
 motoris ac Fautoris sui plurimum Colendi.

publico Examini submittit
JOHANNES FLEISCHER Pirnensis

Sereniss. Elec. Sax. Alumnus.

In Auditorio Maiore, ad die n 23. Julij horis pomeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis Ambrosij Rothi Acad. Typogr.
Anno M DC XXXVI.

Farbkarte #13

B.I.G.
 Black
 3/Color
 White
 Magenta
 Red
 Yellow
 Green
 Cyan
 Blue

8
 7
 6
 5
 4
 3
 2
 1
 1
 1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 Centimetres
 Inches

